

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR  
UNIVERSITATIS GRYPHISWALDENSIS,  
CHRISTIANVS NETTEL-  
BLADT,  
J. V. D. ET PROFESSOR REGIVS PVBL. ORDIN.,  
SOCIETATISQVE REGIÆ VPSALIENSIS SODALIS,  
OCCASIONE  
HELIOLATRIÆ  
VETERVM  
RITVS  
TEMPORE NATIVITATIS DOMINI  
ADORANDI SOLEM.  
AD  
CVLTVM  
SOLIS JVSTITIÆ  
INCREATI,  
DEBITAMQVE ERGA MVNDI SALVATOREM VE-  
NERATIONEM,  
EA QVA DECET PIETATE,  
CIVES ACADEMICOS  
FESTIVO HOCCE TEMPORE,  
EXCITAT ATQVE ADIOR-  
TATVR.

*a. C. 1. 7. 3.*

Ioll. diss. A  
004, 20

GRYPHISVALDIÆ, EX OFFICINA  
REG. ACAD. TY

Diss. A. 20. K. 10



**D**ari substantiam per excellentiam talem, vel sibi  
relicta sana ratione, ex rebus sub, supra & circa  
se (1) existentibus homines, si velint, percipere  
possunt & liquido cognoscere. Quin, si pergunct  
accuratius cogitando, facile non tantum se ipsis  
in conspectum dabit admirandus ille attributorum & perfectio-  
num complexus, sine quibus, ne concipi quidem aut esse pot-  
est summum illud ens per se subsistens; sed insuper etiam,  
cultu religioso prosequendum esse (2) facili pronaque argu-  
mentatione consequentur. Seponantur reliqua, quibus tamen  
omnibus illud humanæ conditionis perfectionem immenso  
intervallo post se relinquit: modo unica immaterialitis &  
in-  
uidentiæ biga, (3) sub examen vocetur. Non citius hoc  
fa-

---

(1) Ex ipsis fontibus specialiora pro  
Dei existentia haurie argumenta li-  
cet. Uti ratione cororis humani ex  
oculo J. C. STURMIUS ex aure J. A.  
SCHMIDT ex cordo G. A. HAM-  
BERGERUS, e manu C. DONATI,  
e cerebro M. J. FRIED. WUCHE-  
RER, ex aliis partibus, alii hauserunt.

(2) An internus ad id cultus suffi-  
ciat, an vero externus etiam requira-  
tur, inter eruditos disputatur. Vid. hac

de re GODOFR. POLYC. MUL-  
LERİ Disp. Lips. de Cultu Dei exter-  
no, & Dn. D. KOPPENII Collegæ Ho-  
noratiss. Disp. Gryph. de ead. materia,  
qui pro externo militant.

(3) Ex hisce duobus attributis entis  
per se subsistentis cætera egregie eruit  
EUDDEUS in *Theolog. Dogmat* L. 2.  
c. 1. §. XI seqq. & Dn. WALCHIUS  
in der Einleitung in die *Philosoph.* L. 2.  
c. 2. §. 25. pag. 203. seqq.



S. J. [Signature]

factum erit, quam ineffabilis quædam & venerabunda religio-  
nis obligatio inde nascetur, in metum, amorem, spem, obedi-  
entiam cultusque religiosi alias partes. qua data occasione, erum-  
pens. Hinc ne gentiles quidem ignorare potuerunt, existere  
Numen (4) & quod existere crediderunt, nec colere omisere.  
Hoc solo errore titubantes, quod cuinam Enti summi Numi-  
nis dignitas decernenda sit, non certas apud se constitutas ra-  
tiones (5) habuerint. Hinc enim in devia illa dilapsi sunt, ut  
divinitatem sibi persuaserint, quæ non erat, & quæ erat, non  
agnoverint. Attamen vel ex ipso hoc gentilium errore li-  
quet, quod existentiam Numinis alicujus extra dubium collo-  
caverint, &, quam sint homines ad illud colendum devincti,  
operosa religione sua, utut superstitionis & Idololatrica, osten-  
derint. Qvod vero obfuscato vel sua culpa vel aliorum ma-  
litia revelationis lumine in tenebris oberraverint & aut ex in-  
genio suo deos sibi finixerint aut ab aliis fraudulentis impostori-  
bus obtrudi passi sint, id demum ex perversitate, cœcitate, ne-  
gligentia aliisque hujusmodi causis profectum esse facili conje-  
cta intelligere licet. Hoc certum est, apud diversos popu-  
los, diversa exinde deorum dearumque genera & mirandos,  
nendum stupendos atque horrendos sacrorum cultusque modos  
(6) prognatos esse. Constat superbientem olim Romam vi-

A 2

ginti

(4) PETR. BAELIUS evincere qui-  
dem conatus est, integros etiam po-  
pulos atheismum occupasse, sed quam  
invalidis rationibus id fecerit, osten-  
sum est a J. L. FABRICIO in *Apolo-  
gico pro genere humano contra ca-  
lumniam Atheistū*, & BUDDEOS in  
*Tr. de Atheismo cap. 5. §. I.* pag. 364.

(5) Optime hac de re egit LUTHE-  
RUS *Tom. IV. Jen. Latin. fol. 618.* &  
*Tom. 4. Jen. Germ. fol. 204.* ubi legi  
meretur. CICERO quoque *lib. 1. de  
LL* recte scribit: *Nullam gentem, neque  
tam immanesvetam, neque tam feram  
esse, quæ non, etiam si ignoret, qualem*

*Deum babere deceat, tamen haben-  
dum sciat.* Nec aliter sentit PLU-  
TARCHUS *adv. Colotem Tom. 2.*  
*Oper. pag. 1125.* aliquique pl.

(6) An non ritus gentiles Christia-  
norum sacris pro parte originem de-  
derint immixtique sint, olim acriter  
disputatum est ex quo SPENCERUS  
de *LL. Hebræor. ritualibus Vol. 2.*  
*Disp. 1.* id demonstratum sibi sumse-  
rat, quæ de re PFAFFIUS in *præfat.*  
*ad noviss. edit. Spenceri* plura affert.  
Recruduit haud ita pridem hoc cor-  
tamen Aboæ.

ginti *selectos*; ut dicebant, deos adorasse, quos nulli licebat sibi vindicare aut eorum quempiam suos privatim facere; sed, qui omnium in universum commodis, nimirum aut regni integræ, aut provinciæ nobilis, aut civitatis illustris serviebant; uti quidem ANTONIUS GVEVARA (7) id prodidit. Habant præter hos & innumeros *communes*, ut BRUXELLO philosopho arbitrante, tot deos quot cives, bis centum, puta, & octoginta mille ambitu suo complexa sit. Nec Germani exiguum eorum numerum (8) coluere. Solas Pomeranie (9) Livonie (10) Borussiae (11) aliarumque terrarum antiquitates si consulamus, neque in uno numine, neque in uno eodemque cultus genere eas acquievisse, videbimus. Diffiteri tamen non possum, plura Deorum nomina, quam deos forte in Germania antiqua occurrere, ut, si quis erueret historiam Deorum Germanico-

(7) In *Horologio Principum edit. sexta Lib. I. Cap. XI.* pag. 35. seqq. conf. FRANC. POMEY *Pantheum Mythicum* & al. pl.

(8) Plerumque duas eorum, propter multitudinem, constituunt classes, alteram communium universæ Germanicæ gentis, aut saltem maximæ partis; alteram particularium certæ provinciæ & ditionis. Piores Catholici & majores: posteriores topici & minores dicuntur. Distingvit & JOH. PICCARDUS inter gemeine Alfgaden und Landgaden, licet diverso sensu. De multitudine Deorum Germanorum videre est ap. SCHEDIUM de *Diis German.* ABRAH. FRENCELIUM in Comment. de *Diis Soraborum aliorumque Slavorum* ap. III. Dn. HOFFMANNUM inter Script. Rerum Lusat. Tom. 2. p. 100. seqq. & Auctores passim adductos.

(9) Vid. ZICKERMANNI *Histori-*

sche Nachricht von denen alten Einwohnern in Pommern pag. 6. seqq. ut MICRAELIUM, CRAMERUM & alios sileam.

(10) Vid. HERM. BECKERI Disp. Witteb *Livonia in sacrificiis suis considerata*, Cap. I. §. 2. EINHORN in *Historia Lettica* pag. 14. & DIONYS. FABRICIUS in *Compendios Livonie Historia Manusc.* Cap. 2. Omnium vero optime hujus gentis Deastros exposuit THOMAS HIERNER in denen Est. Lieff- und Lettländischen Geschichten *Manusc.* Lib. I.

(11) Et hi populi solis cultum variisque Deastros habuerunt, teste HARTKNOCHIO de *Diss. select. Histor. Diss. X.* pag. 157. seqq. conf. JOH. MELETIUS in *Sacrificiis & Idololatria Veter. Boruss.* nec non TITIUS de *Prussia a Tyrannie Cruciferorum liberata in ACTIS BORUSSICIS* Tom. 2. pag. 163. & 404. seqq.

manicorum, deprehensurum, non dubitem, unum eundemque factitium Deum, prouti casus & ratio tulit, diversas appellaciones fortitum esse. Id quod seqtiori & in pejus subinde ruentis seculo Deis ipsis, pro numero nominum, augendis occasionem præbuit. Quanta autem hic cernitur fuisse majorum in conquirendis Diis anxietas & sollicitudo, tanta à veritatis via aberratio subest; ut stulte seduli humanitatem & rationem omnem exuisse videri possint. Nihil tam vanum & absonum, nihil in regno naturæ tam monstrosum, nihil inter animalia tam ferum, sævum & contemptibile; nihil in rebus inanimatis tam (12) ineptum tamque impurum, quod non quis populus Deum sibi fecerit & luxuriante veneratione suspexerit. Non cœlo, nec terræ; non ventis nec aquis, nec lapidibus nec truncis dinitatis venia data. Sed utut monstrosum quid esset atque abominandum, ut esset diabolus ipse, esse tamen poterat Deus &, vel natura ipsa repugnante, demissò cultu honorari. Qui in fastis antiquis versati sunt, hæc omnia ignorare non poterunt, ita ut prolixa eorum probatione hic non sit opus. De antiquitate tamen idolatriæ hanc meam esse opinionem profiteor, quod, si tria illa genera Theologiæ gentilis, naturalis, fabulosa & politica spectentur, temporis ordine, ea quæ à natura nomen obtinuit, & creaturam Creatori ipsi substituit, antecedere mihi videatur. Inter creaturas autem primo omnium soli di-

A 3

vinos

(12) Ut unicum saltem ex multis proferam exemplum, ad *Historiam Livoniæ Manuscr.* THOMÆ HIERNER provoco, ubi *Tom. I* hæc leguntur verba: Sie haben in Estland noch diesen abergläubischen Gebrauch / daß sie alle Neue Jahr einen Gôzen von Stroh, in Gestalt eines Mannes/ machen / den sie METZICKO nennen / und eignen ihm die Kraft zu / daß er ihr Vieh von den wilden Thieren bewahren/

und ihre Gränze hüten solle. Diesen begleiten sie alle aus dem Dorfe/ und sehen ihn an ihren Gränzen auf den nechsten Baum/ &c. alia plura legi possunt ap. NERRETERUM in Tr. Juden- und Heyden-Tempel / & CHRISTPH. ARNOLDUM in Tr. von denen Sächsischen Winsen und Teutschenden Gôzen-Vibden / ubi Deastri Hoitzili pocbtli, sive Vitzili putzili, Mura - Poante & aliorum icones reperiuntur.

vinos honores delatos esse non minori probabilitate credidimus. Neque tamen negandum puto, sub solis symbolo ad juvenutem, de divinitate rectius erudiendam, ipsum verum Deum initio repræsentatum adoratumque esse & successu demum temporis, invalecente superstitione apud posteros, aliquid divini Numinis huic astro affictum. Nec difficile est invenire fictionis rationes. Inter primas humanæ videtur imbecillitas mentis fuisse, quæ facilius percipit res oculis obversantes; ad ea vero, quæ à sensibus remotiora sunt, non æque facile pertinet. Ipse Israeliticus populus tot miraculis, tot nutus divini speciminibus præmunitus in pessimum hujus rei exemplum abivit, qui cum in Deo suo, supra oculorum omnium aciem posito, satis habere debuisset, Deos sibi expetebat, quos usurpare oculis posset. Quid mirum igitur est, gentes à confortio Israelis alienas & revelationis lumine destitutas, eo depravationis pervenisse, ut visu, quam intellectu, de divinitate statuere maluerint. Forte & abusus astronomiæ (quod studium, perhibentibus rerum memorabilium scriptoribus, antiquissimis jam temporibus homines excoluerunt) seductionis non levem ansam subministravit. Hinc enim miranda solis natura, operandi vivida virtus, magnitudinis & altitudinis stupenda vastitas innotuerunt, quæ, ubi in deterius rapta usque corrupta sunt, ad cultum idololatricum facili negotio adaperire viam potuere. Ne quid dicam de aliis in superstitionem proclivibus doctrinis, (13) quæ inclinare in has partes humum animum potuere. Non alias ipsa (14) scriptura sacra hujus corruptelæ causas in medium profert; non alias scriptores profani, prolixiori opera, exponunt. Nec solis cultum pandetæ

(13) e. g. Soli stellisque vitam & rationem inesse, quem errorem & ORI. GENEM aluisse ferunt. Vid KOCH Tom. I. *Observ. Miscell.* pag 21.

(14) Vid. Liber Sapientiæ Cap. XIII. 2. seqq. conf. VOSSIUS de *Idolo-*

*latria* c. 2. pag. 309. ARNCKIEL von der Cymbr. Heyden-Religion, P. I. p. 48. & 49. & ZICKERMANN in seiner Nachricht von Pommern / pag. 28. qui in compendio potiores adducit rationes.

Etæ sacræ intactum reliquerunt. Evolvantur *Deut. IV. 19. XVII. 3.*  
*Hiob XXXI. 26. seqq.* Aperte commemoratum invenies. MOLOCHUM (15) vero, BAALEM (16) & THAMUSUM (17) prototidem hujus cultus religionisque simulacris venditare ausim. Atque hæc me movet, ut credam, causa, tantum non ab omnibus (18) populis solem olim pro Deo habitum & divino honore ornatum fuisse. Cuinam vero populo hujus idololatriæ solaris primordia debeantur? hæc altioris indaginis quæstio videtur. Communiter creditur à *Chaldeis* (19) profectam in alias gentes serpisse. RUDBECKIUS (20) apud Svedos incunabula ejus statuit, indeque aliarum etiam terrarum incolas haclue afflatos contendit. Sed undecunque contraxerint, certum est, paucos ab ea immunes extitisse. Nam & illi huc referri merentur, quibus ignis pro Deo fuit: cum in aprico esse videatur, sub ignis vocabulo solis ipsius igneam virtutem, nec  
 quic-

(15) Sub *MOLOCHI* Titulo & Ethnicos & Israelitas solem veneratos esse testatur SPENCERUS de *LL. Hebr. Ritual.* pag. m 483. & 806. GOODWINUS in Tr. *Moses & Aaron ex edit. Hotting L. 4. Cap. 2.* GUSTAV. PERINGER in Diss. Upsilon. de *Cultu solis Idololatrico*, th 8. pag 14.

(16) *MOLOCHUM & BAALEM* re ipsa inter se convenire & utroque nomine solem intelligendum esse probatum dedit GOODWINUS supr. all. loc. Lib. 4. cap 2. §. 4. pag. m. 662. BUDDEUS in *Hist. Eccles. Veter. Testam.* pag. 948. in fin. GUNDLING in *Gundling. T. 8. Part. 39. Obs. 1. §. 36 & 37. p. 319 seqq.* WEISIUS in *Antiquitat. Misnico Saxon.* p 382. & RUDBECKIUS in *Atlant. Tom. 2. Cap. 5.* pag 151

(17) Vid: *Ezech. cap. VIII. 14.* &

Commentat. *adb I. conf. RUDBECK in Atlant. Tom. 2. cap 5. pag. 142. seqq.*

(18) POMPONIUS MELA de *Situ orbis Lib. 1. c. 8.* scribit: Qui ultra deferta esse memorantur, *Atlantes*, Solem exsecrantur. Sed hoc assertum jam sub examen revocare non placet.

(19) Hanc sententiam defendit HUMPHREDUS PRIDEAUX in the *Historij of the dews* conf. Mr. de la ROCHE Bibl. Angloise. T 1. P. 1. pag. 12. seqq. Num vero origo hujus cultus a prima mundi origine repetenda sit, ut volunt ANT. van DALE *Diss. 1. de Orig. & Progr. Idol Cap. 1.* pag. 14. & JAC. BASNAGIUS in *Antiqu Jud. T. 2. c. 2.* pag. 391. aliis discutiendum relinquo. Ante diluvii tempora eam cœpisse negat BUDDEUS in *Hist. Eccles. Vet. Test. P. 1 Sect 1.* p. 159.

(20) In *Atlant. Tom. 2. Cap. 5.* p 434.

quicquam aliud intelligi debere. Observandum enim probe hic est, pro diversa virtutum ratione diversa etiam foli indita nomina fuisse, uti id MACROBIUS (21) dudum ad liquidum deduxit. Interim unicus sub diversis istis nominibus sole ejusdemque ad religionem comparatus cultus absconditur. Equidem HYDIUS (22) Anglus, Vir doctrinæ fama per orbem literatum inclitus, in eo allaboravit, ut Persas à solis cultu alienos fuisse probaret. Sed dudum ab aliis ostensum est, quam hoc destitutum sit omni fundamento. Etenim sub Mithræ nomine utique apud ipsos sanctum & religione dignum fuisse habitum XENOPHONTIS (23) aliorumque testimoniiis confici potest. De Græcis, quod solem coluerint, nemo negare poterit, nisi omnem simul fidem historicam damnare velit. Romanos vero haud secus fecisse, si ab omnibus etiam aliis argumentis abstineatur,

solæ

(21) *Saturnal.* Lib. 20 - 30. ubi prolixè docet ac monstrat, solem s. virtutes solis significare Apollinem liberum patrem, matrem, Mercurium, Aesculapium, Herculem Serapim, &c. & Lib. 1. c. 19. scribit: *Virtutem igitur solis quæ divinationi curationique praest*, Apollinem vocarunt; *quæ sermonis auctor est Mercurii nomen acceptum* &c. Eleganter quoque monstrat ROSSÆUS in *Tr. Religionen der Welt* pag. 885. seqq. sub diversis Deorum Roman. nominibus, non diversos ut vulgo creditur, latitare, sed unicum solem, quem sub diversis hisce adorant nominibus. Conf. Dn. de LUDWIG in *Diss. 2 de Idolis Slavorum* §. 3. ap. III. HOFFMANNUM inter Scriptor. Rerum Lusat. Tom. 2. pag. 71.

(22) In *Historia Religionis Veterum Persarum eorumque magorum*, p. 12. Contrarium adversus Dn. HYDE probatum est in *Not. ad GOODWINI Tr. Moses & Aaron Lib. 4. Cap. 2. §. 22. not. 14.* p. m. 675.

(23) *Lib. VIII. pag. 233. edit. Wechsel.* conf. PETR. BIZARII *Histor. Rer. Persic.* Lib. 12. p. m. 382. inter Scriptor. *Rer. Persic.* edit. Wechsel; RHODIGINI *Lect. Antiqu.* pag. 938. Imo hoc quodammodo in Regum Persicæ titulis probari potest, quando se appellant: Ein König aller Könige. ein Erbe des Gestirns. einen Bruder der Sonnen und des Monds. Vid. Staat von Persien inter Rengerianos pag. 5.

solæ inscriptions, in quibus solem inter Deos viales (24) referri videmus, abunde testantur. *India* ditissima remotissimaque & antiqua & recentia culti solis exempla (25) suppeditat. Neque in *Asia* (26) passim, *Africa* (27) & *America* (28) defunt. Modo quis intentiori cura Historica Regnorum provinciarum, Civitatumque monumenta excutiat, inveniet ubivis cultus hujus aut antiqua vestigia aut præsentia exempla. Non displicet igitur KEYSLERI (29) sententia, *Gentes non enumerabimus, scribentis, in quibus viguit Heliolatria, universum nominabimus orbem terrarum &c.*

An germania antiqua in eodem numero habenda sit, nec ne, MASCOVIUS (30) non satis pronunciative vel affirmare vel negare ausus est. GUNDLINGIUS (31) etiam aperte negavit, præcipuum robur ex eo quærens, quod TACITUS, et si diu inter Germanos versatus, nihil hujus rei tradidit atque vel eo ipso suspectum reddi putat J. CÆSARIS, quod hoc

B

referri

(24) Vid. CHRIST. WEISII Disp. I. Lips. de Numinibus Vialibus, cap. 2. §. 9. pag. 38. seqq. Quod Sol & Luna etiam præsides Circensium ap. Rom. fuerint, jam dudum probatum dedit ONUPHIUS PANVINIUS in Tr. de Ludis Circensibus.

(25) In quadam Indorum urbe solis templum olim fuisse, commemorat RHODIGINUS Lect. Antiqu. Libr. 29. Cap. 4. pag. m. 1110. Qui plura de solis cultu ap. Indos scire cupit, evolvat Historiam Indiæ Occidental. Moral. Lib. 5. c. 4. pag. m. 213. ap. Dn. de BRY inter Americæ Scriptores. Ibid. Indorum descriptio JACOBI LE MOYNE Tab. 35. ut & Americæ P. V. ubi Auct. BEZONUS pag. 68. de Peruwanis ait: *Solem tamen pro nomine præcipuo habentes &c.*

(26) Vid. D'AVITI Descript. generale de l'Asie pag. m. 244. ubi de Arabiæ desertæ Incolis ait: *Leurs ancêtres adoroient le Soleil &c.*

(27) Vid. D'AVITI Descript. generale de L'Afrique pag. m. 33. ubi: *les anciens, ait, Africains de Barbarie furent tous Idolâtres, adorans le soleil & le feu, comme les Persans &c.*

(28) Vid. D'AVITI Description Generale de L'Amerique pag. 23. & passim.

(29) In Dissert. de Cultu Solis Freji & Othini p. m. 762. ap. SCHEIDUM de Diis German. edit. noviss.

(30) In denen Geschichten derer Teutsch schen unter denen Franken/ p. m. 48.

(31) In Gundlingianis Tom. 3. P. 12. pag. 170. seqq.

referri videtur, testimonium, utpote cui vix videre & à facie cognoscere Germanos licuerit. Sed salva res est. Sufficit TACITUM (32) totidem verbis de Germanis scripsisse, quod Deorum maximum MERCURIUM colant, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habeant. En controversiam diremtam! Primum enim inter omnes constat, non infrequens TACITO esse, Romanorum appellations Germanorum Idolis adhibere. Si suo nomine compellandus esset Mercurius, ille non Mercurium sed Wodan dicere debuisset (33), qui cum Othino unus idemque habetur. Mercurium Romani conjugem Veneri adjungebant, quid! quod annales testantur, eo usque erroris devenisse veteres, ut solem inter & lunam ad instar mariti & uxorius matrimonii aliquod vinculum sibi persvaderent. Itaque non obscura conjectura est, sub Mercurio TACITI Germanos solem adorasse, præsertim eos, qui septentrionalibus populis proprius adjacebant; credibile cum sit, propter vicinitatem cultum solis ad ipsas promanare potuisse. Plura certe sunt, quæ fidem dictorum augerent. Sed præsentis scripturæ genus non permittit, ut ea huc afferramus. Fateor igitur me haud multum abesse à sententia FRENZELII (34) qui probare annititur, quod sub nomine & imagine SWANTOVITI in Rugia olim, Pomerania atque Megapoli non alias, quam solis cultus viguerit!

[32] *De Moribus German. in Oper.*  
edit. Amst. p. 415. Alterum locum TACITI quem GUNDLINGIUS protuenda causa sua allegavit, JO. MICH. HEINECCIUS in Disput. de Crodone §. 9 pag. 22. inter Scriptor. Rer. German. LEUCKFELDII illustravit, & denique ad illum egregie respondit.

[33] Vid. LUCÆ Fürsten. Saal pag m. 930. & SCHERINGHAM de Orig. Anglor. pag. 314.

[34] In Disf. de *Idolis Slavorum*, pag. m. 73. ap. Ill. Dn. HOFFMANNUM inter Scriptor. *Rerum Lusat.* Tom. 2. In hæc consentit Celeb. Rost. Theolog. D. ÆPINUS in Dissert de Mecklenburg. *Conversione*, pag. 17. ubi idem hoc probatum dedit, Ecquis igitur, scribens, non conjecterit, Swantovitum sanctam lucem s. Solem Rugianis denotasse.

rit: sicuti & lunæ cornutæ effigies quam **TRIGLAVUS** (35) pectora præferebat aliquid reconditi atere videtur. Si ad cultum Idoli **BIAL-BOG** (36) attendamus, eadem, quæ de **SWANTOVITO**, conjectura occurrit; licet ceteroquin aliorum uberiori disquisitioni relinquam, utrum Slavorum Idola horumque singula nomina etiam peculiares Deos, an v. diversas unius numinis, solis puto, virtutes & operationes præ se tulerint (37) nec ne? Saltem de vasti operis columna illa, quam frater **BERNHARDUS Julini** diruendam curavit, id moneam, non mi-

B 2

nus

[35] Hæc eo forte comparata sunt, ut ostendatur, sub hoc simulacro *lunam* esse cultam, in quam sententiam & propendere videmus III. Dn. de **LUDEWIG** de *Idolis Slavorum* *Diss.* 3. §. 3. pag. 79. conf. **ABRAH. FRENCELII** Comment. de *Diis Saborum* aliorumque *Slavorum*, c. 24. §. 7. pag. m. 205. inter *Rerum Lusat. Scriptor.* Tom. 2. & **NERRETERI** *Jlliden- und Heyden-Tempel/* p. 1002.

[36] Habet & nomen **BELBUCK**, quod album Deum significare volunt. Vid. Dn. de **LUDWIG** de *Idolis Slavorum* c. 1. & P. **WUJÆ** *Historia Episcopat. Cammineus* ap. III. Dn. de **LUDEWIG** inter *Scriptor. Rerum Bamberg.* T. 2. pag. 513 conf. **CHRIST. HENR. WEISIUS** in *Antiqu. Misnico-Saxon.* p. 337. qui satis prolixe hac de re agit tandemque hic solem latere existimat. Neque hoc abs re esse putarem. Siquidem conjicere licet, sub nominibus *Baal*, *Bielbuck* *Biolum* & similibus eandem rem repræ-

sentare veteres voluisse. Monasterium quoque in Pomerania fuisse, *Belbuck* dictum, constat ex *Observationibus JASCHIANIS ad Vitam St. Ottomis*, ap. Dn. de **LUDEWIG** inter *Script. Rerum Bamberg. Tom. 1.* pag. 615.

[37] Affirmativam sententiam recte defendunt **GODOFR. HECHTIUS** in *Germania Sacra* P. 1. Lib. 1. pag. 7. **ALEX. ROSSÆUS** in *Tr. Religionen der Welt/* pag. 385. aliique. Sic **WEBERUS** in *Diss. de Pustero Veteri German. Idolo*, pag. 23. subdubit an sub diversis nominibus *Bial - Bock* & *Zernebock*, diversa etiam *Idola* indigitentur, putans nomina hæc appellativa atque Generalia potius esse. Neque minus ego dixerim **JUTER-BOCKIUM**, quod perinde videtur esse, ac matutinus hircus sive *Morgen-Bock* oder *Gott / f. Deus*. & **ZVICZIO** sive **SCHWAIXTIXIO**, i. e. *Deus lucis* atque ignis, nil nisi *Solem cum aurora* notasse.

nus mihi, quam aliis pro solis insigni (38) haberi, ad quam quotannis mensis Decembris ipso *Luciae* die sacrificia *Soli* obtulisse dicuntur. Atque hæc omnia cultui solis in Septentrionalibus oris quondam facto non videntur esse absimilia. Quid sibi voluerit Hercyniæ sylvæ CRODO Idolum? si queratur, varia respondentur, quæ ab HEINECCIO (39) peculiari scripto in disquisitionem vocata sunt. Vero simillimam hanc conjecturam esse volunt, qua astrum Saturni eo nomine adoratum esse contendunt nonnulli. Scirem, cur non potius *Solis* ipsius? MACROBIUS auctor est, Saturni nomine hic eum venire. Saltem rota & urceus frugibus æstivis stipatus, quorum species imago idoli hujus præbet, & cursum solis & vegetativam virtutem ejus manifesto loquuntur. Volunt eidein solis sacratam fuisse diem. Atqui, non alia hæc, dixerim, denuo prodere, quam, quod solis statua CRODO fuerit. Sepono nunc alia, (40) quæ eodem loco haberi possunt. Satis est, *Crodonem* cum magno WODANO (dem groten Wodan) paria fecisse. Sed, uti hæc veri

[38] Hanc hujus columnæ explicationem primum dedit Dn. CAROC in Tr. Nachricht von der Reformation und Abschaffung des Päpstlichen Kirchen-Wesens / §. 1. pag. 3. quem dein secutus est b. ZICKERMANN in Tr. Nachricht von den alten Einwohnern in Pommern / pag. 20. Aliis pro Julii Cæsaris statua plerumque habetur, quem errorem etiam fovet. P. WUIA in Historia Episcopatus Camminensis supra alleg. loc. pag. m. 518.

[39] In Dissertat. de Crodone Harzburgico pag. 19. seqq. Saturni simulacrum fuisse, credit WITICHINDUS CORBEIENS Lib. 3. Annal. ap. MEILOMIUM Tom. 1. Scriptorum Rer. German pag. 661. WORMIUS putat in Monument. Dan. pag. 19. quod

KRODAN malitiæ atque nequitiaæ præses fuerit, unde proverbium natum: En kroden Skaldf/ i. e. homo desperitæ nequitiaæ; ut & Germanorum kroden Duvel/ prouti vult NERRETERUS in Tr. Juden und Heiden, Tempel/ pag 967. Aliorum opiniones nunc prætermittam.

[40] Hæc pro parte legi possunt ap. ALEX. ROSSÆUM in Tr. Religionen der Welt/ pag. 915. & Dn. HEINECCIUM in supr. alleg. Diss. Cap. 2. §. 26. pag. 31. Utrum vero CRODO & Prusorum CURCHO unum idemque numen sit aliis discutiendum relinquo. Interim de CURCHO videri potest. HARTKNOCH. in Select. Dissertat. Histor. p. 163 & 173 nec non Erklärtetes Preußen. Tom. 2 pag. 125.

veri speciem habent; ita à veritate alienum est, quod primum generis humani autorem *Adamum* notaverit, quemadmodum non sine errore nonnulli arbitrati sunt. Similia C H R I S T . H E N . W E I S I U S ( 41 ) de famigerabili Saxonum I R M E N S U L A præcepit. Namque & hanc pariter ac Julinensem illam, solis dicatam columnam prædicant, quam immolationibus atque holocaustis Saxones olim sacravere. Neque sine rationibus hæc asseri puto, Ipsi enim Saxones, ubi Britanniam ingressi, de religione interrogabantur, si vero de religione queritur, respondebant, noveris, nos juxta morem paternum SOLEM adorare. Igitur probabile est ad Irmenkulam hunc cultum præstitum esse. Ut taceam, inveniri etiam quædam ap. G O B E L I N U M P E R S O N A M ( 42 ), quæ ad credendum hoc animum inducunt. Nec putes de solis Anglo - Saxonibus hæc valere posse. Adsunt enim testimonia, quibus & ad reliquos Saxones hæc referenda esse, docemur. Mihi sufficiat his ipsis prodiisse, quo pretio habendum sit, quod K E Y S L E R U S statuam solis nullam in Germania admittere & G U N D L I N G I U S omnem illius cultum inde eliminare voluerint. Forte hic ultimus eo fine hac via ingressus est, ut placita ejus de *feudis solaribus* ( 43 ) minus obstaculorum paterentur. Sed hæc alio pertinent.

Sætius erit de pristino apud Svedos *solis* cultu ea huc proferre, quæ paginæ angustia capiet. K E Y S L E R V S ( 44 ) quidem peculiarem

B 3

hujus

[ 41 ] In *Antiquitat. Misnico - Saxon.* nic. pag. 402. Variorum opiniones refert MEIBOMIUS in Tr. de *Irminsula Saxon.* Cap. V. Tom. 3. Script. Rer. Germ. pag. 11. seqq.

[ 42 ] In *Cosmod. ætat.* 6. cap. 35. ap. MEIBOMIUM Tom. 1. Script. Rer. Germ. pag. 235.

[ 43 ] In hac materia conferri possunt AHASV. FRITSCHIUS in Disf. de *Feudo Solari*, HARTM. ab ERFEA de bonis Germaniæ, *feuda solaria*

Germanice Sonnen - Lehn dictis, & HULDR. v. EYBEN in Disp. ubi hanc materiam tractat.

[ 44 ] Quæ reperitur in calce ad noviss. edit. Traetatus S C H E D I I de DIIS. Germ. adjecta ab editore JARKIO. In hac Dissertatione KEYSLERUS modo R U D B E C K I U M ( stupendæ alias eruditioñis & Ingenii sagacissimi Virum, cuius nomen nunquam sine honoris præfamine adduci debet ) recta etiam via incidentem taxat;

hujus argumenti disquisitionem suscepit, sed quæ non uno nævo atque errore laborat. Quare cautela opus est lecturis hunc librum. Stat interim sententia, solem in Svecia veteri divinis honoribus ornatum esse. Facit inter alia, ad probandum hoc, nomen antiquum solaris sacrificii SVNNO-BLOT (45) quod ad ætatem nostram perduravit. Sol enim Gothicō vocabulo *Sun s.* *Son* olim pronunciabatur, ULPHILA (46) ipso teste; ast ho-

die-

xat; modo ipse in Etymologicis a verosimilitudinis tramite prorsus digreditur. Neque distinete satis hunc cultum exponit; Rusticos etiam Septentrionalibus populis mores, quasi non hæc vel similia de aliis omnibus hujus ætatis populis adduci probari que possent, in propriæ rusticitatis documentum, objicit; & quæ hujus farinæ alia sunt passim in hoc scripto occurrentia, nota censoria dignissima. Optarem certe, ut quidam inter Sveciæ Daniæque literatos hujus Viri nævos tam in hoc quam altero, sub rubro *Antiquitates Celticæ* vulgato scripto detegeret, ne harum rerum minus periti in devia abducerentur. Manum quidem ipse olim admovi, sed ea in ordinem jam redigere limamque adhibere ultimam, non vacat.

[ 46 ] Unde hæc voces originem trahant, non conveniunt Doctores. KEYSLERUS in *supra alleg. Dissert.* pag. 765. putat, ab obsoleto German. Vocabulo *Sühnen calefacere* eas enatas esse, hancque suam derivacionem *omni procul dubio majori niti verisimilitudine quam RUDBECKIA-NA* a sehen/ Sen videre credit. Quam rite recteque aliis dijudicandum relinquo. Interim GUNDLINGIUS in *Gundlingianis Tom. 3. pag. 173. Etymo-*

logiam RUDBECKII approbare mihi videtur dum voces *Sunna*, *Siona* & German. Sehen derivat. Quid vero de voce *Sühnen*/ quatenus pro *calefaccere* accipiendum, sentiendum sit, peritiores hujus lingvæ judicent. Varios evolvi scriptores, sed hanc vocis significationem haec tenus frustra quæsivi.

[ 47 ] Loca quæ huc spectant, addxit KEYSLERUS *supra allegato loco* p. 795. & STIERNHIELMI *Glossarium Ulphila - Gothicum sub voce Sunno,* pag. 133. Dum vero KEYSLERUS l.c. not a. quædam de Ulphila ejusve Novo Testamento Manuscrit. in medium profert, hoc addere placet, scil. illum Codicem hodie in Bibliotheca Upsaliensi asservari, Dominum que ERICVM BENZELIVM, olim *Biblioth. Upsal. nunc Episcopum Linceptensem, Fautorem nostrum honoratisimum* in eo fuisse, ut accuratam juxta ipsum originale exemplar nobis tradaret, & versionem & editionem; sed nondum lucem aspergit opus hocce desideratissimum. Nos, modo paginæ angustia id permittat, dabimus infra ad calcem hujus scripti literas Academiacæ Upsaliensis, quæ historiam Manuscriti. illustrare possunt.

dienum ipsum festum solare super stite nomine JUUL appellari solet. Cujus quidem appellationem non à voce *Giul* s. rota, sed à *Jola* s. *Jala* hilarem se præbere, derivandam esse contendit PETR. DYKMANNUS (47) hac duætus ratione, quod vetustarum Char- tarum scriptione probetur nomen JUUL, non vero *Giul*: qua in re & VERELIUM & STIERNHIELM habuit antecessores. Controversiam recenset REENHIELM (48) & denique sententiæ RUDBECKII subscribit. Qvod vero KEYSLERUS ejus rationes fri- volas dixerit atque ridiculas, ipsum KEYSLERUM hujus cri- minis reum facit. Quid est enim quod ipsum in argumento RUDBECKII à *Juul-Klubba* petito offendere potest? Si solo hoc usus esset RUDBECKIUS, haberet forte quod quereretur, jam vero cum fortioribus associet, quid merito desiderari pos- sit, non video. Accedit quod derivatio à voce *Jola* & *Jala* festis omnibus æque conveniat, cum posterior hæc pro- prius rem veniat eoque nomine præferri mereatur. Nec prætermittendum, quod cum anni tempore, quo festum hoc celebrabatur, sententia hæc congruat quam optime. Siqui- dem media hyeme hæc peragebantur solennia, adeoque eo- dem vero dierum spatio, quo sacras ferias hodie auspicati su- mus; quoque anni tempore *Otbinus*, sub qua appellatione sol ipse latitat, annum circuitum absolvisse novumque ad in- star rotæ moliri credebatur. Itaque, ut recens vel suscepimus vel suscipiendum iter in communem salutem vergeret & frugife- ram fœcunditatem afferret, venerabundi lætabundique sacri- ficiis illi litabant. Quonam v. tempore hæc sacra initium sum- ferint, qua annum, qua mensem atque dies accurate definiri non potest. Probabile tamen est primos Sveciæ incolas ex quo

[47] In *Antiquit Eccles.* pag. 86.  
Alii à JULIO CÆSARE, rursus alii  
ab anglico quodam vocabulo *Giuli*,  
vel etiam à *Jubilo* nomen accepisse.  
Festum *Juul* arbitrantur, ut refert  
BIRCHERODIUS in *Palæstra Anti-*

*qvaria Disqv. I. p 6. 15. & 19.* Sed  
omnes à veri tramite longe discedunt.

[48] In *Notis ad ODDI Monachi*  
*Historiam Regis OLAVI TRYGVÆ*  
filii, pag. 28.

quo vero Deo repudium misérunt, aut sub imagine repræsentativa adorare coeperunt, factum esse. Etenim solem venerandum esse rationi ipsis (sed corruptæ) consentaneum (49) videbatur. Nec quicquam præter illum ob præstantissimam naturæ excellentiam adoratione dignum habebatur. Itaque hujus nobilitate perstrictis oculis, soli *Soli* aliquid divini numinis inditum, illumque adeo mundo præesse argumentabantur. Uti vero credere aliquid Deum, neque tamen illud venerari velle, absolum est; ita semel admisso, quod *Sol* Deus esset, *Sol* etiam venerandus videbatur. Hoc quoque aliquando apud septentrionales factum esse existimo, donec homo quidam ibidem surrexit, qui filium se solis prædicavit & variis interpositis technis atque fraudibus sub nomine ΗΝ *Attis*, *Attin*, *Othin* similibusque cultum solis invasit, sibique arrogavit. Successit deinde huic alias in nomen divinitatemque (50) *Othini* prioris, adeoque duos hujus tituli atque dignitatis unum post alterum orbis septentrionalis accepit divinisque honoribus prosecutus est. Hanc traditionem, quamvis à vulgari illa recedat, suis inniti (51) rationibus, certum est. Id tantum dolemus, quod ad justam Idololatriæ hujus historiam concinnandam necessariis subsidiis domesticis destituamur. Interim KEYSLERUS se hic satis audacter gerit, & quod solet evenire incautius procedentibus, in varios errores incidit. Nos, ingenue dico, monumentorum ad hanc ætatem pertinentium inopia hac in re laboramus. Nam vaferimus ille impostor, qui falsum

OTHI-

[49] Vid BVDDEVS in *Historia Ecclesiast. Veter. Testam.* pag. 243 sq.  
& ALEX. ROSSÆVS in *Tr. Religionen der Welt* pag. 835.

[50] Idem mecum affirmat STIERNHIELM in *Dissert. Manuscrit. de OTHINO* quando: *Hos, ait, per secula sequentes alli heroes in nomen, famam & honores succedunt* - *Hoc*

*etiam in Othino nostro contigisse claram est.*

[51] Rationes in *Tr. nostro* | *Manuscrit. sub Rubro* Ante-Othinus fusi exponimus. Conf. interim TORFÆVS in *Serie Regum Daniæ*, pag. 117. & VERELIVS in *Not. ad Histor. Gotrici & Rolvonis*, pag. 40. Præcipue vero *Mythol. 5. & 49. Eddæ.*

**OTHINI** nomen sibi sumxit & distinctionis causa aut *Asiatici* aut *Upsaliensis* cognomen accepit, omnia, quæ ad ejus usque ætatem servata erant, rerum antiquarum documenta destruxit atque delevit. Ut, præter conjecturas probabiles (52), nihil nobis reliquum fecerit. Ita enim ad scopum suum obtinendum, ut ageret, opus videbatur. Destinaverat sibi solis cultum; igitur, ut destinata asseretur, affectu per longam annorum seriem confirmarentur, optima, quæ huc facere videbantur media, eligenda erant. Juvabat fortuna belli, qua, cum prosperrima uteretur, non solum in universum omnes credebant, quod in persona ejus victoria sita esset, sed & militum animos tantum fiduciæ sui insederat, ut sola manuum ipsius impositione victoriæ spem (53) conciperent. In magiæ s. naturalis s. Diabolicæ arte tantum valebat, (54) ut nemo hujus loci par ei crederetur. His siebat, ut in bellicosa natione illa, summa esset existimatio ejus. Augebant superstitionem fœundi, qui forte tunc inciderant, anni. Hos enim, uti tunc plerumque regibus deberi putabant, (55) **OTHINO** suo adscribabant. Itaque cum nihil præter divinos *Solis* honores ambitioni ipsius deesse videretur, hos etiam acquirendos meditabatur. Atque eo comparatum erat, quod primum nomen **OTHINI** (56) affectaret, neque affectaret solum, sed & suscipieret, festumque & cultum solarem in certum ordinem ritusque redigeret, quin, cum solis insigni effigiem suam exprimendam (57) curaret juberetque; Denique vero, ut à pluribns astutiæ ejus inventis abstineam, quicquid monumentorum reperiebatur, supprimeret, caliginem offusurus posteris, ut quæcunque de **OTHINI** illustribus factis tradebantur, in suam personam referrent. Verum, uti hæc omnia satis callide excogitata erant, ita, quod non nisi acerbum esse potest,

C

cum

[52] Huc pertinet e. g. quando **O-** dinus vocatur omni parens, summus & antiquissimus Asarum, rerum omnium Dominus &c. vid. VERELI- VS in Not. ad Histor. Gotrici & Rolvonis, pag. 48.

[53] Testis hac in re omni exceptio- ne major est *Ynglinga Saga*, cap. 2. ap. STVRLESONIVM in Chronic. Nor- weg. pag. 3. Hinc recte VERELIVS in Notis cit. pag. 40. artes ejus, scri- bit, tam bellicas, quam magicas, qui- bus divinitatem promeruit, &c.

[54] Vid. *Ynglinga Saga*, cap. 6. ap STVRLESONIVM c l. pag. 7. BAR THOLINVS in Antiquitat. Danor. pag. 293. & TORFÆUS in Hist. Nor- weg. Tom. I. Lib. 3. cap. 17. p. 144.

[55] Testis iterum est *Ynglinga Sa- ga*, cap. 47. cit. loc pag. 54. De OTHI- NO affirmat Edda, quod crediderint

Sveones, quod, qvibuscunq; in terris moraretur, annonæ ibi esset abundantia atq; pax, qvam ipsius potestati sub- se credebant. Imo ex hoc capite sol- vebatur **OTHINO** pro singulis natis s. Capitibus quotannis unicus unus loco census teste *Ynglinga Saga*, cap. 8. cit. loc. pag. m. 10.

[56] Recte hinc TORFÆUS in serie Regum Daniæ, pag. 124. scribit: Se- qvior hic Othinus se suosque eorum nominibus appellavit, quo stratagema- te tantum perfecit, ut nunc præter nuda illorum [scil. priorum Othino- rum] nomina fere nihil de iis scia- mus, nec quanto illum tempore præces- serint, conjicere valeamus.

[57] Testis est VERELIUS quando in Not. ad Histor. Gotrici & Rolvoni- sis, pag 43 *Solis*, ait, *imago coronata ad pingebatur, tanquam simulacrum prioris Othini, i. e. solis.*

cum irreparabili illa antiquitatum Regni Svedici jactura (58) conjuncta fuerunt. Hinc enim illæ Lachrymæ, quod, quæ spectant antiquum soli ibidem præstitum cultum, è documentis domesticis non satis dilucide explanari possint. Certum est atque indubitatum, quod OTHINUS *Asiaticus* solis cultum in se traxerit. Neque tamen solus obtinuit. Venit enim in partem honoris FREYERUS: & quod PERINGSKIOLDIUS (59) credendi ansam suppeditavit, OTHINUM etiam *Asiaticum* in honore eo antecessit. Quæ forte ratio est, quare tantum non omnia, quæ in veterum annalibus de cultu FREYERI efferuntur, ad OTHINI etiam nomen nobilitandum communiter usurpantur. Sed de his, si quæ plura afferri possent, alii occasione asservanda erunt.

Quod pertinet ad solennitates festivas, quibus sacra solaria sub nomine OTHINI atque FREYERI in Svecia obire olim moris fuit, sequentia hac de re in rerum vetustarum tabulis ex tanto naufragio collectis ad memoriam nostram delata sunt. Festum erat universalium omnium (60) summum, quod in celebritate frequentissima maximo magnificentiæ apparatu (61) agebatur. Unde & *Sonnu Blot*, *Haufu Blot*, *Med-Winter-Blot* & plures hujus naturæ appellations ei inditæ sunt. Suberat & superstitioni pertinacia: ut non mediocrem sibi plebis indignationem contraheret quondam Rex HAQVINUS ADALSTEIN cum interdicere rusticis ea festivitate ausus esset, neque ipse præsentia sua eandem honestare voluisse. Causam sacrorum istorum reperire licet in *Ynglinga-Saga* cap. 8. nempe til Grothar i. e. pro omni soli ubertate suscipiebantur. Tempus peracti cultus, ut supra ostendum, media hyems & quidem, si standum est fiducie RUDBECKII (62) olim vigesima quarta & quinta mensis Januarii, pro qua, post mutatum cum Christianismo anni novi exordium, vigesima quinta Decembris assumta est. Novendecim dierum festiva lætitia fuit; Hoc discrimine diversa ab aliis duobus anniversariis festis, quoram alterum ineunte hyeme s. bruma, pro felici annonæ; alterum vernante anno, pro pace & victoria celebratum est, uti illud in *Hervara-Saga*; hoc vero in *S. Olofs Saga*, relatum accepimus. Verrina tunc sacrificia plerumque facta esse ex *Hervara Saga* itidem constat. Eaque propterea electa putantur, quia fabulose creditum est, vulnera aliquando soli a verre inficta esse, (63) vel quia verres, tanquam qui equos pernici-  
cita-

(58) Proinde haud inconcinne loquitur TORFÆUS in serie *Dynast. & Regum Daniæ* pag. 124. Hominum quoque his in terris ante se degentium non fecus ac Deorum memoriam penitus delere omni studio allaborabat. Causam facti tam inhumani ipsa ED. DA *Mythol* 49 prodit hisce verbis: *Ut multis post seculis nemini dubium esset, eosdem esse Asos istos, de quibus dictum fuerat &c.*

(59) In *Upland Monument.* Tom. 1 pag. 240. seqq.

(60) Præterea quoque privata

sua habebant sacra, uti ex Historiis constat, quæ vocabantur *Alfablot*; quæ de re videri potest *Olavi St. Historia* cap. 92. ap. STURLESONIUM in *Chron. Norweg.* pag. 509.

(61) Vid. STURLESONIUM in *Cron. Norweg.* Tom. 1. p. m. 559. edit. PERINGSKIOLD.

(62) In *Atlantica* Tom. I p. 100 seq. conf. *St. Olofs-Saga* cap. 69. & VE. RELIUS ad *Hervara Saga* cap. 4.

(63) Vid RUDBECKII *Atlantica* Tom. 1. p. 103. 104. 109. Tom. 2. pag. 213. 229. & passim.

eitate anteirent, trahendo solis vehiculo aptissimos esse somniabant, *Edda* pro-  
dente. Taurum quoque ferum & bene saginatum OTHINO immolatum esse  
constat, cuius generis bestia, in *Ynglinga Saga* c. 30. Regem EGILLUM necesse  
traditur. An vero solari hoc, an in alterutro modo dictorum festo Taurina hæc  
sacrificia peracta sint, nullibi ego perscriptum inveni. Contra, equorum in hoc  
festo soli oblatas esse hostias, vel ideo dubio carere videtur, quia solis ipsi vehicu-  
lo solito more juncti credebantur. Saltem veterum scriptorum fide (64) dicun-  
tur. Plura etiam à RUDBECKIO (65) animalia in his solennibus sacrificia facta  
perhibentur; sed qua veritatis specie, nec libet nunc inquirere, nec vacat. Ho-  
stiis humanis in his festivis solaribus litatum esse volunt nonnulli; sed mihi pro-  
babilius fit, de honestamenta hæc abfuisse. Quamvis in universum non negave-  
rim, OTHINUM sacrificiis humanis placatum esse, si quando casus extraordinarii  
inciderint, aut gravis urserit necesitas, si rebus prostratis anxium pacis deside-  
rium fuit, si cui longæva vita, si anni fertilitas votis expetita, aut profugæ avis in-  
vestigandum latibulum. Sic stantibus rebus ad horrenda hæc sacra OTHINI  
itum esse *Ynglinga Saga* Cap. 18, 21, 29. seqq. traditum legitur. Verum quod hoc  
festo solari factum sit, nullo mihi exemplo innotuit. Non ignoro, quæ à MES-  
SENIO (66) ADAMO BREMENSI & RUDBECKIO alii se hanc in rem affe-  
runtur. Sed hæc omnia me ab opinione mea dimovere non potuere. Solidiori  
probatione opus erat. Antistites sacrificiorum non infimæ, non mediæ sed prin-  
cipis conditionis viri erant. Et qui peragendis operabantur *Blot-Madr* & *Blot*  
*Sveiru* nominibus insigniebatur. Templum perficiendorum locus. Mactata  
victima & hujus parietes & ipsum idolum sanguine tincta; forsitan ad imitationem  
Sacerdotum ipsius Dei *Lev. XVI.* 14. Quod reliquum erat carnis atque pinguedi-  
nis, concionis sacro epulo consumtum. Regum erat, suo exemplo vescientibus  
præire. Quod cum Rex HAQVINUS, ut supra commemoratum est, negligeret,  
suo damno neglexit. Oportebat ipsos interesse; nec privatim epulari, sine su-  
spicione contemtus Religionis, licitum. Ut pluribus videre est apud STURLE-  
SONIUM (67). Neque factis sacrificiis epulando tantum verum & fortiter po-  
tando, musico concentu, saltationibus, ludis, cantilenis festivis, candelis arden-  
tibus festivis quibus festi etiam inditum nomen (*Juul* *Lichter*) per dies per no-  
tes jubila protrahebantur. Dona insuper & munera invicem data. Inter præ-  
cipuos ritus erat, ut in salutem honoremque Deorum & ante omnes quidem ali-  
os, OTHINI, poculis certaretur. Omnium rerum copia tunc temporis & abun-  
dantia affuebat. Per integrum novendecim dierum spatium continuis ferculis  
oneratae mensæ. Et quo major certiorque confluxus esset, Judicium universale  
& nundinæ celebratissimæ, *Disting* nomen erat, (68) instituta celebrataque. His

C 2

omni-

(64) Vid. *Håkon Adalstens Saga* cap. 18. & 19. ap. STURLESON in *Chron Norweg.* p. 145. & 146.

BREMENS. *de situ Daniae*, cap. 234.  
pag. m 62. & RUDBECKIUS. *Tom. I.*  
*Atlant.* pag. 104. 603. 604.

(65) In *Atlantica* Tom. 2. pag. 233.  
239. 268. 318. Tom. 1. pag. 104. 604.

(67) In *Håkon Adalstens Saga* C. 18.  
pag. m. 145.

(66) In *Scripto Comico Swan-Hwī*  
¶ Act. 11. Scen. 1. p. 9. conf. ADAM.

(68) De hisce Nundinis plura lectu  
dignissima congregavit Aut. Disp. Upsal  
de *Nundinis Dianis*.

omnibus observatis, festum *Julium* rite peractum putabant. Iam quidem quæ Dei T. O. M. misericordia est, indigna hæc hominibus superstitione in Svecia nostra dudum sepulta jacet. Sed citra superstitionem idololatricam multæ festivitatis hujus antiquæ ad nostram ætatem reliquiæ pervaferunt & anniversario eodem hoc tempore observantur. Candelæ Juliæ, Cantilenæ, variii ludi festivi, dona & strenæ, convivia, panis in modum verris vel formæ rotundæ pistus, & apud agrestes per novendecim dies inde à prima natalitiorum Christi dinumerandos, variis cibis instructæ mensæ in hodiernis residuis inveniuntur; nec illis, qui aliquando circa hoc tempus per Regni nostri provincias iter fecerunt, ignorari hæc possunt. An apud plebem etiam antiquæ superstitionis stamina remanserint & hodienum sub pectore foveantur, (69) id nunc inquirendum mihi non sumo, satius ducens hæc atque alia, quæ huc referri poterant, doctis in Svecia relinquenda esse. Speroque fore, ut, cum instructiori penu agere hanc rem possint, expectationem nostram non sinant esse inanem.

Nobis vero CIVES ACADEMICI O. O. H. omnia quæ haetenus à me disquisita sunt, eo in serviant velim, ut, quo longius majores nostros à cognitione veri DEI remotos vidimus, eo intentiores ipsi pro immensa misericordia sua gratias agamus, quod discussis tenebris illis densissimis, divina luce sua in melius nos erudire voluerit. Etenim gratiose revelationis lumine edocti, quem Deum solem nostrum veneremur, haud ignoramus. Veneramur Dominum nostrum Jesum Christum solem illum Justitiae, cuius hodie ortum in hunc mundum, adventum in carnem puto, devota memoria recolimus. Hic per omnem vitam sol noster esto! Hunc filiali timore, amore, obsequio prosequamur, magnificamus, in cœlum usque, unde salutis nostræ causa digressus est, extollamus. Hic justus nobis solis, hic dignus cultus erit. Ab hoc Astro divino pax omnis, bonorum affluentia, prosperitas atque salus derivatur. Hinc lux in tenebris, in calamitatibus solamen, in animæ corporisque augustiis auxilium, in periculis tutamen. Ab hujus igitur religioso cultu nec vita nec mors, nec quicquam aliud nos revocet atque dimoveat. Huic preces nostras, huic vivas nos ipsos hostias offeramus. In nostram ille ortus est salutem, ut hæredes essemus æternæ felicitatis. Quid igitur tam potest esse officii nostri, quam ut hunc solem adoremus Mexicanorum (70) ea religionis perversitas fuit, ut orienti creato soli quotidie sibi sanguinis libamina sacraverint. Procul hinc horrorem illum! Et sanguis & corda nostra & quicquid præterea sumus, uni Justitiae soli nostro debentur. Huic corpora nostra animæque pro templis, hunc colere, amplecti, devenerari præstitu gratissima officia sunt! Ita demum agendo, hoc festum orientis Justitiae solis, ut Deo, ut hominibus, ut Christianis denique dignum est, celebrabimus.

P. P. G R Y P H I S W A L D I A E,  
S V B S I G I L L O V N I V E R S I T A T I S.

(69) Hanc in rem, sed levi brachio passim inquirit BIRCHERODIUS in *Palæstra Antiquaria*, qui etiam in hoc Tr. de *Ludis, Prognosticis, Pace, pla-*

*centis, Poculis, Candelis Juliis & similibus agit.*

(70) Vid. FRANCISCI Geschichts-, Kunst- und Sitten-Spiegel ausländische Völker/ p. 1056

**ILLVSTRISSIME, EXCELLENTISSIME  
COMES,  
REGNI SVECIÆ ACADEMIÆQVE UPSALIENSIS  
CANCELLARIE,  
DOMINE GRATIOSE AC PATRONE  
MAXIME!**

**S**i quanta gratia complexus semper es, complecterisque Academiam Upsaliensem, post tot exhibita benignissimi erga eam animi argumenta vel nesciremus nos vel occasione oblata supersedere: mus tamen pro facultate nostra, quantumvis tenui, prædicare, jure meritoque cum præsentis ævi homines ingratos nos & tantorum indignissimos bonorum, tum futuri reputarent. Quo minus vitio nobis vertes, ut confidimus, VIR ILLVSTRISSIME, si quod apud alios omnes, omni tempore agendum nobis confitemur, apud TE agamus unica hac vice, meritorumque Amplitudinem TVORUM erga nos recordatione pia, TE præsente ac recognoscente recolamus. Evidem non sumus nescii, quam sit aliena tua moderatio à cupiditate gloriæ, cuius quantumcunque fuerit, magnitudo animi fastigium pridem omne superavit. Indulgebit tamen TUA nobis gratia hanc veniam, ut conscientiae satisfaciamus nostræ, testemurque TIBI sensum beneficiorum, quibus sicut alias frequenter, ita nuper admodum sine exemplo maximis ILLVSTRISSIMISQVE nos locupletasti. Ecquid enim conferri mereatur muneri, quo TE auctore, cœpit his diebus Bibliotheca nostræ Academiæ fulgere? Habemus ab antiquitate ultima vindicata & in usus publicos transmissa monumenta rarissima, libros omnis generis plurimos, calamo in Membra exaratos, quibus res à populis septentrionem habitantibus ante secula non pauca gestæ continentur, eo genere plurimum compositæ, quo skaldi, sapientes summi apud Majores, eorumque posteri ac successores conservaverunt. Hic memorie Veteris Thesaurus quanti faciendus sit, sic noscetur demum, si quam pauca nobis manserint reliqua ex omnibus, quibus priscum ævum se posteritat commendarat, in animum revocaverimus. Jacent pleraque, nescimus qua seu fortunæ invidentis, seu hominum niminus attentorum diligentiumque, culpa æternis sepulta tenebris. E quibus si quid erutum protrahitur in lucem, utique id novi alicujus fati studio indulgentiave fieri censendum. Nec enim pecuniæ valere possunt, ubi forum mercibus est destitutum, possessorque animo æquiori caret argento, quam à majoribus ad se transmesso libro. Qvandoque quotus quisque est ex iis, quos humorum copia celebrari hodie audimus, qui, si daretur quoque fœcum, mercium istarum, ex illa copia in eas expendendo, vel exiguum subduci par tem sibi pateretur: Scilicet sunt libri squalore obsiti, obducti fumo, pulvereque, ac ne integri quidem semper, sed à blattis muribusque arrosi. Præterea male pœti, ut in plerisque literas confusas, distortas, implicatas ipsaque obsoletas vetustate, luminibus quantumvis perspicacibus & intentis assequi haud liceat. Pro his i. e. sicut illi quidem censem, re inani, & fatigando visui juxta atque cerebro solum idonea erogare nummos, quid est quasi aliud, quam si mitissime lo-

quendum, bona nescire sua, & rem usibus & necessitatibus humanis destinatam imprudenti curiositate perdere? Quod plerorumque judicium, quam difficile putamus superatu, eo ipso, quia plerorumque est. Sapere profecto nemo temere contra omnium sententiam, vel vult vel potest, nisi qui despere censi vult, vel omnes alios arguere. At vero TE, qui nihil habes cum plerisque commune, isthoc plerorumque judicium ab egregio honestissimoque facto minime deterruit. Ausus es contra illud ipsum plerorumque Judicium, ex judicio paucissimorum sed intelligentium, & in primis TVO, quod intelligentia aliena nihil indiget; erogare pecunias, & erogare in eas res, in quas sustineret nemo, nisi TVI similis, h. e supra omne plerorumque positus judicium.

Ausus inquam es, industria eximia, ex abdito conquirere monumenta vetera, eaque non pauca, ex locis longe etiam remotis huc arcessere, ut haberent elegantiora ingenia, unde quæ notitiæ Sveticarum rerum desunt plurima felici auspicio fideque optima valerent supplere. Scilicet hoc opus VIRI vere magni, vere patriam amantis esse reputasti, non praesentis modo ævi colere virtutes, sed & veteris revocare memoriam, ac quicquid in eo vel exempli honestate laudabile, vel facti raritate admirabile occurrit, ex tenebris vendicare in lucem, eique spiritum vitamque reddere. Quo consilio ne TIBI quidem quod industria sumptuque tuo conquisitum fuit, seponere voluisti, tuæve pietibus Bibliothecæ tenere clausum, sed in Academiam translatum nostram, omnium illorum publicare usibus, quos amor patriæ ad illustranda prisca decora vocaret. Denique quæ videbatur propria futura Hæredum TVORVM gloriatio, quod à TE comparatam haberent rarissimorum monumentorum possessionem, ejus & animo & judicio singulari participem fecisti Academiam Upsaliensem. Quam per hoc non minus amore paterno, quod liberos complecti proprios monstrasti. Quin imo, quod publice professus es, sic post innumera, hoc quoque animi gratissimi pignus studiorum quondam TVORVM Magistræ voluisti reddere, monumentisque rarissimis, & quæ semel amissa, nulla sollicitudine, nulla quantacunque summa recuperari possunt, custodes fidos & durabiles adponere. Quo pio providoque animo maetus esto, VIR jam ante MAXIME, qui intellexisti primus, eo ipso quædam non servari, quia liberis servantur. Evidem paterna charitas de suo sanguine, præcipue si generosus sit, beneque educetur, nisi optima & laudissima sperare neque debet, neque potest. Ea ipsa tamen usu rerum humanarum exercita nequit ignorare, quantis sint mutationibus subjectæ res, cum primis privatorum, quotque casus interveniant, per quos licet integerrimi exercere virtutem votisque suis satisfacere impediantur. Neque tamen metuendum, ne fors hoc judicio hæredes TVI aliquando contristentur: Sentient nimirum, non exceptum sibi quod est traditum Academiæ, quæ nil ita sibi possidet, ut non eroget in omnes, quibus usui esse potest. Adde quod quam ex hoc facto consecutus es dignitatem summam atque gloriam, ejus ipsi omni tempore sint habituri partem, quando nunquam non, quotiens in manus veniet ex monumentis istis aliquid, auct spectantium curiositas lustrabit, COMITVM DE LA GARDIE Nomen debito elogio commemorabitur. Verum hæc de liberalitate cetera, qua nos supra spem votaque nostra splendidissime ornasti. Ea plane singularis est & eximia, & iccirco commemoratione singulari celebranda, qua nobis inter monumenta cetera & Ulphilam seu ut alii nonnulli maluerunt ex veteribus Urphilam donasti Errabat haec tenus ingentis inter Gothos priscos nominis Episcopus, Gothus ipse, nescimus quo

quo infelici actus sydere, per Bibliothecarum non paucarum scrinia, paucis notis titulo, excussus ferio atque intellectus nemini; igitur ubique peregrinus, ubique captivus, ac cum carceribus squaloreque huctatus jacuit, donec ante hos 20. annos virtus Svetica, è tenebris Pragensibus extractum & in libertatem pristinam assertum patriæ majoribusque suis reddidit, & illustrissimo maximorum ac rarissimorum scriptorum confortio in arce Regia Holmensi ad sociavit. Verum vix dulcedinem libertatis suæ senserat, vix confortii illius savitatem poterat intelligere, cum nova quadam sævientis fortunæ malignitate, popularibus ereptus suis in priorem servitutem crudelissime abstrahitur. Res erat & per se indigna & non mini Svecorum minime honesta, unius homuncionis, ejusque peregrini & à Svecis bene splendideque habiti arte clancularia subduci, qui Svecorum sudore plurimo sanguineque fuerat comparatus. Neque tamen apparebat via recuperandi eum, qui quo esset perlatus, explorare nemo poterat. Itaque jaceret hodieque abditus, ac in orbe peregrino pressus servitute *Ulpilas*, absque TE fuisset, COMES ILLVSTRISSIME. TVA sagacitate inventus, TVA liberalitate denuo Svecis Gothisque, vel quod idem est, Majoribus suis est assertus. TU imperialium Octingentorum summa judicasti dignum, quem ex manibus rapacissimorum hominum extractum redemptumque libertati pristinæ restitueres. Habet ergo *Ulpilas* TE servatorem suum, TE libertatis assertorem, TE securitatis suæ Patronum. Habet Svecia TE Auctore redditum postlimino *Ulpilam*, pridem inter Gothos natum, inter Gothos educatum pauloque ante Regia indulgentia Civibus adscriptum. Habet non otiosum, inertem, vanum, sed translatione librorum sanctissimorum, quibus quicquid salus ipsa, dum humano generi salutem affert, memorabile ac observandum gesit, quicquid crudele iniquumque pertulit, describitur, ad posteritatem omnem clarum & illustre. Habet in translatione illa testimonium apertum fidei, quam Goths veteres, propago hujus orbis, & septentrionis proles olim per Mysiam & vicinas Regiones sunt professi. Habet denique singulare atque ex tot aliis superstes unice, adque nos translatum linguæ ejus monumentum, qua in locis procul dissitis inter gentes peregrinas aliisque linguis utentes, usq; est gens Arctoa postquam quidquid obstitit virtuti suæ, instar fulminis prosternere imperioq; subdere suo suscepit Quod si vel unicum solumq; foret, testaretur tamen certissime clarissimeque, quod negari sustinent non tam ignari, quam invidi veteris Svecorum gloriæ, non alias illius gentis esse conditores, quos annales Græci Latinique *Gottorum* celebrant vocabulo, quam qui hodieque per septentrionem appellantur *Gothi*, pars clarissima Imperii Svecorum. Adeo in hoc monumento sunt convenientia tantum non omnia sermoni, qui vel ante secula nonnulla viguit per regnum hoc, vel hodieque viget. Quæ beneficii abs TE profecti nomina quam sint singula quamque eximia & rara, Tibique soli debita, nemo est, opinatur, qui non animo lubentissimo agnoscat. Nec videtur eis quicquam potuisse adstrui ullius studio ingeniove. At vero TV, qui relinquens nihil intentatum, & solitum omne insolito patræ ornandæ studio superas vincisse etiam hic invenisti ampliora merendi viam & occasionem. Nam quem TV, à mille retro annis in membrana violacea literis argenteis conscriptum, ac ob id argenteum nuncupari solitum accepisti *Ulpilæ Codicem* hoc ipso inter millesimos scriptos codices notabilem ac insignem, eum, ut reverca dici argenteus meatur, totum solido argento nunc circum delisti. Solidum argentum appellamus, quod dicendum fuit prope animatum; adeo solertis manibus artificis vivunt;

vunt, tantumque non loquuntur exstantes ubique imagines, quæ post multorum annorum spacia è sepulchro cincibusque vetustatis emergentem *Ulpila* interprete, in decus Regni Svetici & celebritatem nominis Gotthorum testantur cœlestem veritatem. Neque possumus mirari sive liberalitatem conductoris, sive industriam ingeniumque locatoris, qua utraque factum, ut hic Codex alium in orbe nullum habeat sibi parem. Unde facile colligimus quantis TIBI simus devincti nominibus non nostra solum caussa, quæ tametsi sola esset, impares sic quoque nos solvendo tanto debito efficeret, sed posteritatis etiam, quam hoc munere devinctam habes omni tempore, ac quamdiu virtutis ac doctrinæ aliqua manebit estimatio, habebis. Et quoniam non pro nobis solum gratias angendas TIBI esse COMES ILLVSTRISSIME, sentimus, verum & pro iis omnibus, ad quos per nos tam rari atque pretiosi munera possesio perveniet, id circa invenimus difficilius, qua verborum formula liberalitati tam prolixæ, ac officio tam justo satisfaciamus.

Optandum sane fuerat, ut in novi singularis & incomparabilis doni predicatione, nova singularis & in comparabilis dicendi nobis contigisset facultas, qua ostenderemus non modo, quantum illud beneficium sit TVVM, animique magnitudo TVI, ex qua velut fonte proficiscitur. Sed & quam devota nostra pietas, qua & magnitudinem istam, uti decet, metimur, & beneficium amplectimur. Verum enim vero quando supra solitum eniti prohibemur, ab ingenii tenuitate nostri, saltem polliceri nunc audemus, fore neminem, cuius memoria sanctiore durabilioreque nomen MAGNI GABRIELIS DE LA GARDIE coletur.

Cum & alias officiosa gratitudo malit pio opere se facere testatam, quam sermone, atque ubi animus est occupatus studio singulari vel amore, linguæ facultas quantacunque fuerit, non parum intercepta deficiat. Pauca tamen ista scribere debuimus, ut & non ingratos vel immemores nos fore TV sic intelligeres, & futuræ illius gratitudinis hoc leve quidem, at ex fido deditoque perpetuum TIBI pectori profectum pignus haberemus. Quod proinde TV benignè pro humanitate, bonitate atque gratia, qua soles nostra omnia excipere non dignaberis. Quem ita Patriæ, ita Regi Augustissimo, ita Academiæ huic nostræ, ac in ea nobis omnibus vivere, valere, florere optamus, ut se ipsum quisque, imo plus quam se ipsum quisque sibi, Conjugi liberis, familiæque suæ. Quorum omnium salus incolumitas, commodum decusque non exigua parte à salute atque incolumitate TVA pendet. DEVS servet TE Patronum literarum literatorumque maximum, ut TVA opera, consilio, auctoritate servetur Academia sine cuius conservatione conservabuntur in cassum, quæcunque conservari, etiam qui illius conservationem negligunt contemnuntve, studio ac conatu summo, sive querunt, sive cupiunt.

### ILLVSTRISSIMÆ TVÆ EXCELLENTIA

Upf. d. 11. Julii, Anno 1669.

Devotissimi Cultores,  
Rector & Senatus Academicus.

Coll. diss. A. 204, misc. 20